

Johann Heinrich Becker

**Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Io. Henricvs Becker, Phil. Et  
S. Theol. D. ... Festvm Resvrrectionis Christi Ex More Intimat, Vtqve Illvd Cvltv Ad  
Reverentiam Nvminis Composito, Spiritvali Gavdio, Et Sancta Vita Ex Debito  
Digne Celebrent, Cives Academicos, Notatis Antea Nonnvlis Theologiae  
Carpovianae Invsitatis Adsertis, Ex Officii Ratione Graviter Diligenteroqve  
Admonet**

Rostochii: Typis Iohannis Iacobi Adleri, [1742?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004030495>

Druck    Freier  Zugang





J. 512.

1742. Osterm.

M-1258. 267.

Vg. 1242

PROGRAMMA,  
RECTOR ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS,  
**IO. HENRICVS BECKER,**  
PHIL. ET S. THEOL. D. MORAL. PROF. PVBL. ORD. AD  
D. NICOL. ECCLESIASTES,

FESTVM  
RESVRRECTIONIS  
CHRISTI

EX MORE INTIMAT,  
VTQVE ILLVD  
CVLTV AD REVERENTIAM NVNCLAS  
COMPOSITO, SPIRITVALI GAVDIO, ET SANCTA  
VITA EX DEBITO DIGNE CELEBRENT,

CIVES ACADEMICOS,  
NOTATIS ANTEA NONNVLLIS  
THEOLOGIAE CARPOVIANAE  
INVSITATIS ADSSERTIS,  
EX OFFICII RATIONE  
GRAVITER DILIGENTERQUE ADMONET.



---

*R O S T O C H I I ,*  
Typis IOHANNIS IACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS  
& ACADEMIAE Typograhi.

M 1936 262

\* \* \* \* \*

**T**ulit ita occasio, Cives O. O. Honoratissimi! vt, euulgato vtroque, durante meo Rectoratu, Programmate, festiali Natalitio & Quadragesimali, inter alia quoque quaedam Vobiscum communicauerim, quae in *Theologia Carponiana* non sine omni animaduersione dimittenda esse, exissimaui. Praesens institutum, quo mihi, ex more & officii rectoralis ratione Festum Pascha-  
tos intimanti, admonere Vos incumbit, vt hoc festum sacrum habeatis, illud condigne celebretis, & resurrectionem CHristi sacra meditatione, spirituali gaudio, & salutari imitatione in usus vestros conuertatis, oc-  
casione mihi pariter subministrat, notandi quaedam *Theologiae Carpo-  
nianae* singularia, inusitata, immo erronea, quae vt sub examen ami-  
cum vocentur, veritatis & orthodoxiae amor postulat. Mors CHristi, re-  
surrectionem praecedens, ad exinanitionis statum, quod nemo dubi-  
tabit, referenda est. Resurrectio CHristi ad statum exaltationis spectat.  
De vtroque statu, illique coniunctis, Theologo ita docendum est, vt  
verbi diuini reuelati, fidei analogiae, & honoris IESV CHRISTI,  
*Σεαρχηγώτερον*, rationem habeat diligentissimam. Non satis est, sensum no-  
bis esse nec malum, nec heterodoxum, aut in fidem & professionem Ec-  
clesiae injurium; verum, oportet etiam, illum praeferim, qui ortho-  
xam mentem integrae Ecclesiae vult probare, libro, systematice, immo  
secundum methodum scientificae analogam conscripto, de veritate,  
prae aliis, mereri, quin, Theologiam nova methodo tradendo, cory-  
phaeum quasi agere; hunc, inquam, oportet, summa vti circumspe-  
ctione, vt ne dictioribus, & minus adhuc hypothef bus inauditis & pere-  
grinis, in diuinam veritatem impingat. In theologicis nil dandum est no-  
stris conjecturis philosophicis, nec in illis dominetur, sed ancilletur  
Philosophia! Nec ad placita nostra, sed ad litterae Scripturae vel  
*ἀποκριὰς* & sonum, vel *ἀναλογίας* & consequentiam, exigenda sunt ad-  
ferta theologica. Hoc fundamenti loco ponentes, vnum & alterum in  
Doctissimi DN. M. IACOBI CARPOVII *Theologia Dogmatica* offendimus,  
quod sine monito non possumus dimittere; quum illud aut a Scri-  
pturae littera, aut a fidei analogia, & ab illa, quae utramque respicit,  
accuratione theologica, hincque ab usitata Ecclesiae doctrinae confes-  
sione alienum esse deprehendatur. Manemus autem hac vice in iis, quae  
ad mortem, resurrectionem, exinanitionem & exaltationem CHristi referuntur.  
PRIMVM ergo, quod notamus, hoc est, quod Doctissimus DN.  
CARPOVIUS, de morte CHristi agens, exserat & confirmet illam opi-  
nionem:

nionem: quasi anima CHristi in triduo mortis non fuerit localiter a corpore separata, & in locum paradisi translata. Legatur Theol. Dogm. P. II. p. 585. Schol. 2. ad §. 627. Putat, ad veritatem mortis CHristi non requiri localem animae separationem, nec illa ad salutem animae opus fuisse; Sufficere ad veritatem mortis CHristi, quod sublata fuerit vis corporis actiua, & vis animae & corporis agendi harmonica. Ad exemplum Eutychis mortui prouocat, cuius anima in ipso adhuc fuisse legatur, Act. XX. 9. Docet, animam CHristi vel in mortuo corpore potuisse frui visione DEI beatifica: Phrases Euangelistarum in historia mortis CHristi: ἐξέπνευσε, αφῆτο πνεῦμα, ἐδοκε τὸ πνεῦμα, de vento seu Spiritu vitali, non de anima, intelligit: Ad Celeb. D. CHRISTOPH. MÄTTH. PFAFFIVM, in Instit. Theol. Dogm. & Moralis, p. 435. sq. se recipit: Paradisum, de quo CHristus conuerso latroni promittit: Hodie eris mecum in paradiſo! non pro loco, sed statu beatitudinis sumit, & post alia, sic concludit: Quibus de causis nondum ratio adparet, cur anima CHristi a corpore in triduo mortis localiter separata fuisset, maxime, cum post paucarum horarum spatium debuerit cum illo reduniri. Verum omnia ista inusitata sunt & peregrina in Ecclesia, abeuntque ex parte a proprietate litterae scripturae. De vltima DN. CARPOVII ratione dicemus forte, quod videatur opus resuscitationis CHristi diuinæ potentiae, hac hypothesi, facilius reddere voluisse; quasi difficultius fuerit, animam CHristi e paradiſo repetere, & cum corpore e-mortuo redunire, quam eius, quae permanserit in corpore localiter, cum corpore vinculum restituere. Obiter notamus, & quidem ad addatum de Eutychē exemplum: quod longe alia sit huius, & aliorum bis-mortuorum ratio, alia CHristi mortui. Illorum enim animae, si rupto earum cum corporibus vinculo naturali, non statim a corporibus, locali diaſt̄ē separatae sunt, sed manserunt ad tempus in corpore, factum id est speciali voluntatis diuinæ, animam non auocantis, actu, ne, vbi ad πν̄ beatorum & visionem DEI beatificam semel perductae essent, remeando in infirmum & peccato obnoxium corpus, inque hu-ius vitae miseriam, deterioris iterum fierent conditionis. Quae ratio, quam longe ab anima CHristi abesse debeat, nemo est, qui id non, vel nobis tacentibus, facile perspexerit. Atqui CHristus dixit, se velle esse, illo statim die, quo moreretur, in paradiſo, animamque moribundus Patri, in manus eius illam deponens, commendabat. Luc. XXIII. 46. Qua ipsa phras̄ & vltima, Seruatoris e cruce pendentis, voce, quam de exhalatione aurae vitalis nemo sanus exponet, in ruborem DN. CARPO-VIVS datur, quod, vt paulo ante recensuimus, ausus sit, illas dictio-nes: αφῆτο πνεῦμα, ἐδοκε τὸ πνεῦμα, de ultima respiratione, non de a-minac

animae Christi e corpore abitu, exponere. Quod interim prouocet ad PFAFFIVM, inductus ad hoc sine dubio, eo, quod is THVMMIVM adleget & WOLFLINVM, causam eius parum iuuat, quum hi, quod Christi anima a corpore mortuo NB. localiter non separata fuerit, non dicant; sed sua, a DN. CARPOVII hypothesi non parum differant. PFAFFIVS enim l. c. p. 436. exserte fatetur: *quod anima Christi in corpore eius mortuo definitiue non extiterit, utpote quae in paradisum, sive τὸν spirituum beatorum tuum abierit. Luc. XXIII. 43. corpore, actu suo proprio, in sepulcro manente.* Simul autem is, si quandam animae, localiter separatae, praesentiam ad corpus mortuum Christi adstruit, fundamentum petit ex unione personali, in qua & corpus & anima Christi in ipso mortis triduo verissime permanxit; hoc est: prouocat ad *Omnipraesentiam* humanae naturae Christi, quam Theologi intimam vocant. OSIANDRVM forte in Append. Disput. de Omnipraes. thes. 43. habet sibi consentientem. THVM-MIO autem, si is Tr. de Maiestate Christi, localem separationem simpli-citer negavit; D. FEVRBORNIVS, in *κενωσιγραφίᾳ* Sečt. III. Cap. XVIII. p. 88. solide contradixit. Nec facile ullum reperies nostrae Ecclesiae Theologum, qui localem separationem negauerit, omnes potius illam vrgent & fatentur uno quasi ore. Scripturae autem clara littera localem hanc separationem nos edocet. Verba enim Christi: *Luc. XXIII. 43. Hodie mecum eris in paradyso!* mutationem loci innuunt, non status solum. Alibi DN. CARPOVIVS fatetur: *locum beatificae DEI visionis esse, & dici paradysum;* nulla vero est ratio, quare Christus, ad latronem loquens, statum, non locum beatitudinis intelligat; praesertim, cum l. c. DN. CARPOVIVS fateatur, latronem *non statum solum, sed locum beatitudinis, statim post mortem obtinuisse,* tamen Christum *non locum, sed statum solum obtinuisse* ait, quia ipsi die tertio resurgendum iterum fuerit. At qualis haec ratio est? Verum, vocem paradyfi, aliquando pro statu sumi debere, l. c. probat, e dubitatione Pauli: *in corpore fuerit, an extra corpus?* cum raptus esset in paradysum. II. Cor. XII. 4. Ait enim, dubitatione illa opus non fuisse, si parady-sus semper locum, non etiam statum beatitudinis notaret. Respondemus: Paulus hoc innuit: se sui corporis conscientiam sibi tunc non fuisse, nec audet determinare, quid sibi & quomodo factum sit, *an sola anima, an anima & corpore simul raptus fuerit in paradysum, quem & ibidem τρίτον σπανὸν* appellat. Vox autem, qua vtitur, ηπτάγη, motum ad locum notat, & violentum. Ita de corporali subduclione Philippi per Spiritum S. facta, eadem vox legitur Act. VIII. 39. 40. vt adeo de *ἰνσάται*, Prophetis alias non insolita, quam & ipse Apostolus se expertum esse testatur Act. XXII. 17. intelligi non commode queat, sed plus inferre videatur. Supponit

ponit DN. CARPOVIVS, *Paulum in statu solum, non in loco beatitudinis fuisse*, supponit, *Paulum visionem duntaxat habuisse, & ecstasi passum esse*, cum tamen Apostolus vtroque citato loco, quid sibi contigerit, diuersissimae emphaseos vocibus indicet & distinguat. Sed nolumus hoc ex instituto pluribus tractare. Sufficit, quod DN. CARPOVIVS ad *II. Cor. XII. 4.* se tuto recipere nequeat, sed, generatim dicendo, in tota hypothesi, quod fieri non debebat, argumentis destitutus, conieaturis nimium tribuat. B. D. BVDDEVS *Instit. Theol. Dogm.* p. 834. *Paradisum*, ait, *qui de statu animae interpretari volunt, aut alia ratione haecce verba (hodie mecum eris in paradiſo) explicant, vim, ni fallor, illis inferunt apertam.* Manendum ergo, cum nulla vrgeat necessitas, immo, cum ne vllum quidem contra adsit argumentum theologicum, DN. CARPOVIO erat in sensu proprio verborum CHristi, quae non solum ex *Luc. XXIII. 46. Io. XIX. 30. Matth. XXVII. 50.* sed & *Ebr. IX. 12. 24.* egregie declarantur. Secus vero cum faciat, & noua proponat, in Scripturam S. iniurius est, iisque, qui licenter illam tractant, manus praebet obstetricantes. Interim fatemur quidem, quod Clariss. Dn. Auctor opinionem suam nemini obtrudat, qua de re testatur p. 16. *Schol. 2. ad §. 660.* At censuram tamen, nihil, nisi quod satis demonstratum sit, adsu- mere gestiens, non effugiet, quum, sicut in hoc passu, ita in aliis, quam facilis sit in recedendo a littera verbi reuelati, & a communi Ecclesiae professione, non obscure prodiderit.

SECVNDVM, quod notamus, DN. M. CARPOVII peregrinum, & cum analogia fidei non facile conciliandum adsertum hoc est, quod sanctissimi corporis CHristi, in triduo mortis incorruptibilitatem nudis naturalibus tribuit. Concedit nempe *I. c. P. II. p. 592. sequ. §. 632. sq.* corpus B. Seruatoris nec consummatae, nec inchoatae corruptioni obnoxium fuisse, aitque: *consummatam corruptionem non potuisse accidere, quia defisset unio personalis, destruncto penitus unitorum uno, corpore scilicet Christi; at vero illam unionem nunquam debuisse cessare &c.* Quod vero corpus CHristi ne initium quidem corruptionis expertum fuerit, hoc non virtuti diuinae, vel unioni personali adscribit, sed illi statui, iisque circumstantiis, in quibus, teste historia mortis & sepulturae CHristi, corpus b. redemptoris exsangue tunc constitutum fuerit. Vrget 1) corpus Christi perfecta sanitate, immo plane singulari, gauifsum esse, tum ex absentia peccati, tum e summa, quam obseruarit Saluator, temperantia; unde principium corruptionis intrinsecum, malignitatem particularum supponens, in Christi corpore locum non habuerit. 2) Extinctum illud esse morte violenta, in optimo aetatis flore, nullo morbo, vel praua humorum &c. dispositione prauiis. 3) Ante mortem, & statim post mortem, priuatam fuisse maxima

parte sanguinis & humorum ; sic , vt absente fluido , intestinus motus non potuerit inualescere . 4) Vnctum fuisse statim post mortem ; vnde , si fluidum forte residuum ad motum intestinum inclinaturum fuisset , aromatum vis illum cohibuerit . 5) Vnctum , statim in sepulcro lapeo &c. vbi aer & frigidus fuerit & siccus , repositum fuisse . Addit : aliud etiam corpus humanum , positis iisdem circumstantiis , satis diu aequa tuta futurum esse a corruptione . Vnde concludit , rationem , negandae omnimodae corruptionis corporis CHristi , non in acta diuinitatis miraculo , sed in naturalibus circumstantiis corporis ipsius , quaerendam esc . Confer . p . 594 . ¶ 595 . Multa hic forent regerenda , si spatium & hoc scribendi institutum permetteret . Disquirat Physicus aut Medicus , an verum sit , quod corpus aliquod humanum , humoribus suis , tam naturali mixtione , quam vietus vitaeque exactissima temperantia , & rectae valetudinis statu , optime dispositum , in medio sanitatis flore violenter & repente enecatum , pariterque illa ratione , qua corpus CHristi , tractatum , spatio 34 horarum ab omni putrefactione inchoata , & a motu residuorum humorum intestino fermentatiuo , simpliciter omni , debeat , immo possit esse immune ? Sublata enim sanguinis circulatione legali , residuus tamen corporis eiusque partium calor agitat humores , vt non possit non fermentatio initium statim capere . Quamuis ergo putrefactio , forte intra 34 vel 36 horarum spatium , externis sensibus nondum percipiatur ; intus tamen nondum coepisse , immo inualuisse , nemo facile spondebit . Aliis etiam scrutandum relinquimus : an pollinctura externa & vis aromatum tanta esse , tamque celeriter corpus penetrare possit , vt omne , internae humorum efferuescentiae & ebullitionis fermentatiuae , initium inde caueri queat ? Balsamo & aromatibus condita corpora non in cineres cadunt , at exarescant & indurantur , absuntis & in vaporem abactis humoribus per vim salium volatilium & particularum empyreumaticarum penetrantium , quae aromatibus insunt ; at donec corpora ita exarescant , putredinis omnis expertes non manent humores , & ne internae quidem partes solidae . Porro verum est , calidum & humidum aerem , corpora demortua ambientem , iuuare putredinem internam ; at frigidiusculum contra (de insigni frigore hiemali aliter iudicandum ) aërem , talem , qui e. gr. aestum climatis in terra iudai- ca paululum temperabat , interno motui fermentatiuo humorum ita resistere , vt ne inchoata quidem corruptio corporis CHristi , non omnino exsucci , succedere potuerit , id non verosimile , nedum demonstratum est . At missa facimus illa ; Quaestio praecipua est : an illae addatae causae genuinae fuerint in facto , ¶ an theologice haec omnia adserat Dicitissimus Auctor , inque hoc capite ab antiqua , hodierna & perpetua Ecclesiae pro- feßione

*seffione recedendi sufficientes habeat rationes?* Primo, e demonstratione *Dicitur*.  
Auctoris apertum est, quod corpus Christi, si omnia illa, quae circumstant, non acceſſerint, corruptioni inchoatiuae fuſſet obnoxium naturaliter. Fac, sanctum corpus Christi non fuſſe ita sanguine euacuatuni, aromatibus vnguenti, frigidiusculo loco repositum; fac, 6 vel 8 dies in sepulcro & exanime manſisse, tunc, ex mente DN. CARPOVII corruptionis locum aut habuiffet, aut singularis diuina operatio, quae naturam transcendit, in subsidium fuſſet vocanda. Quod autem tunc diuinae virtuti fuſſet tribuendum, quidni id erit & nunc? Num satis honorificum est carni Christi, illam e solo externalium causarum concurſu a putredine liberam vindicare? quasi non fuerit citra illas, & in ſe, corruptionis expers? Num recte facimus, quod cum aliis mortalium hominum corporibus, quibus mors & putredo eſt stipendium peccati, quibusque, ut mortale induat immortale, corruptione opus eſt, sanctissimum corpus Christi in eadem claſſe collocemus? Ita enim, ut Auctor docet, nil praecipui habuit corpus Christi mortuum; positis enim iſtis naturalibus causis & requisitis, putat, quodus aliud corpus pariter fore a putredine immune, quumque corporis Christi αρχηρια ab his causis naturalibus suspendeat, poſſibilitatem corruptionis corporis Christi, ſaltim inchoatiuae, defiſientibus illis causis naturalibus, concedere videtur. Mirum autem eſt, non adtendere Dn. Auctorem ad id, quod Petrus Act. II. 24. dicit: *αδύνατον fuſſe, ut Christus morte teneretur*: Inde enim aperatum eſt, corruptionem, qua mors Christum in sepulcro detinuiffet, *αδύνατον* in corpore Christi fuſſe. Quod vero *αδύνατον* eſt, id certe a concurſu externalium circumſtantiarum non pendet; ſic, ut, defiſientibus iis, poſſibile & actuale factum fuerit. Quum praeterea, non habito respectu ad supra dictas circumſtantias, Dn. Auctor fateatur, *consummata corruptioni*, ni vno personalis debuerit ceſſare, in corpore Christi locum non fuſſe, quidni idem ſentit de *inchoata vel minima*, quae gradibus duntaxat a *consummata* diſtat? An vero putat, cum corpore, inchoata putrefactione correpto, vniōne personalem facile ſtare potuiffe? Christi caro eſtne *vniifica* ex vniōne cum diuina τὸ λόγος natura, mansiſne caro Christi diuina τὸ λόγος persona, in ipsa morte, ſuſtentata, terminataque? Nonne ergo ex hac ineffabili & haud interrupta vniōne cum filio DEI aeterno, rectius, quam ex externaliſ quibusdam, quae accideſſunt, dubii effectus circumſtantiiſ, αρχηρια carnis Christi erit pertenda? Secundo, quid dicendum de largiter effuso *sanguine Christi*? Isne fuit corruptioni, vel inchoatiuae, obnoxius? Sanguis, quum heterogeneis multis mixtus fit particulis, nempe aereis, aqueis, terrefribus, oleaginosis, sulphureis; ad corruptionem, ſimil ac eius motus progreſſus.

progressiuus cessat, in se maxime pronus est; praeterea in terram effusus, calidiore aere, sub dio, facilis soluitur & in fermentationem agitur quam corpus solidum. Ita vero factum est cum sanguine Christi; hunc nec balsamus & aromata, nec frigidiusculum in petra sepulcrum a corruptione liberum praestabant. Tamen non crediderim, DN. CARPOVIVM, cum multis *Caluinianis* & quibusdam *Pontificis* (*vid. D. Abr. Calovii Systema Theol. Tom. VII. p. 678.*) sanguinem Christi, putredine consumtum vel tactum duntaxat fuisse, adfirmaturum esse. Quod si vero circa omnes causas naturales, *sanguis Christi* effusus, a putredine omni, per efficaciam diuinam, ex vnione personali repetendam, immunis fuit, quare ad *αρρωστιανην carnis Christi* causae naturales & externae, de quibus earumque operatione sub iudice lis est, velut efficientes requiruntur, quidni longe maiora de carne Christi praesumuntur, quam de qualicunque alio corpore humano? Tertio, si externo & accidentaliter statui, qualem supra diximus, viriumque naturalium operationi tribuenda est corporis Christi *αρρωστια* in mortis triduo, vt nihil singularis, & praे aliis corporibus, in illo statu aequa constitutis, praecepui, habuerit corpus Christi; ad quid opus erat praeclaro illo vaticinio *Pf. XVI. 10.* vbi diuinae virtuti & speciali operationi vindicatur, *quod sanctus DEI corruptionem experturus non sit.* Quidquid vero omnibus humanis corporibus, in eodem statu positis, aequa communia esse concipitur, id non fuit in Messiae corpore singulare quid, & specialis virtutis diuinæ obiectum. Ergo, secundum fidei analogiam & communem Ecclesiae professionem, ita statuendum est; *Corpus Christi emortuum nullius omnino gradus corruptionis, si vel 8 dies in sepulcro mansisset, nec unctum, nec frigidiusculo loco conditum fuisse,* potuit esse capax 1) *ex αρρωστησια, vi cuius corpus Christi nec ad corruptionem naturaliter primum, nec ad corruptionem destinatum, aut, vt nostra corpora sunt, Gen. III. 19. condemnatum erat, 2) ex vnione hypostatica;* vnde caro Christi, etiam in morte, secundae Deitatis personae, ineffabili modo unita, & ab illa sustentata manebat, ideoque uiuifica erat. Qua ratione fieri non poterat, vt caro Christi, λόγω unita & ab illo terminata, vel leuissimum corruptionis initium pateretur. Quod autem fieri non poterat, ad illud nil contulerunt circumstantiae externae, quae acciderunt, quidquid & alio tempore & in alio subiecto illae valeant, aut valere possint. Vngi corpus Christi, permisit quidem & praeuidit Deus; sed, vt actus unctionis error erat vngentium, ita illo non usus est ad arcendam a corpore Christi putrefactionem. Sepulcrum Christi, petrae incisum, prouidentia diuina Christo destinarat, vt carnem eius honoret (ne de eo, quod, ob causam declarandae eo magis gloriosae resurrectionis

rectionis C<sup>H</sup>risti, factum forte fuit, iam dicam) magnifica sepultura; non vt aëre ibi frigidiori & sicciori corpus C<sup>H</sup>risti sine putredine conservaret.

TERTIVM, quod notamus, spectat ad doctrinam de resuscitatione IESV, Seruatoris nostri. Recte docet CARPOVIVS l. c. DEum in essentia IE<sup>s</sup>um resuscitasse, illudque opus aequaliter tribuit Patri, Filio & Spiritui Sancto. Legimus etiam Tom. II. Schol. 2. ad §. 664. thesin, quod C<sup>H</sup>ristus semet ipsum quoque fuscitauerit; legimus ibidem, §. 670. quod C<sup>H</sup>ristus, propria virtute, rediuius, sepulcro exiuerit, quae tamen dictio ambigua est, & sequente demonstratione id innuere deprehenditur, quod C<sup>H</sup>ristus NB. secundum humanitatem, propria virtute e sepulcro exiuerit, postquam fuerit viuiscatus. Hic humanae C<sup>H</sup>risti naturae, per communicationem omnipotentiae, egressum e sepulcro tribuit. At, quod C<sup>H</sup>ristus homo, ad suae humanae naturae NB. viuificationem seu resuscitationem concurrerit, seu, quod resuscitatio sui corporis etiam humanitatis, ex unionis gratia, pariter ac summae Deitatis, opus fuerit, hoc nullibi apud DN. CARPOVIVM legimus. Sic, vt phrasin: C<sup>H</sup>ristus seipsum resuscitauit, collocato quidem loco subiecti, concreto personae compositae, ratione tamen praedicati, intelligat, ex indole propositionum primi generis communicationis idiomatum, & per αἴσιωτιν quasi dicat: illa persona (at illa diuina τὸς λόγος est) quae C<sup>H</sup>ristus est, humanitatem suam, perconsequens, seipsum fuscitauit. Non autem intelligit, ex indole propositionum secundi generis: C<sup>H</sup>ristus secundum humanam quoque naturam, diuina virtute, carni etiam per idiomatum communicationem competente, seipsum fuscitauit! Videtur ergo humanitatem, & speciatim animam C<sup>H</sup>risti ex opere fuscitationis corporis in sepulcro iacentis, prorsus excludere. De quo, & quod illi injuriam non faciamus, nec ultra sensum, quem verba declarant, illi aliquid adfingamus, ipse cordatus lector iudicabit, accuratius perpendens illa, quae leguntur §. 664. vbi adserit: viuificationem C<sup>H</sup>risti esse opus DEI, quia humanitas C<sup>H</sup>risti ens sit a DEO diuersum, & Schol. adie<sup>c</sup>to, vbi propriam virtutem, per quam C<sup>H</sup>ristus seipsum fuscitauerit, restrinquit NB. ad diuinitatem C<sup>H</sup>risti, quod illi Apostolus Rom. I. 4. resuscitationem humanitatis eius tribuat. At §. 673. vbi dictum, I. Petr. III. 18. 19. ex instituto & fusius exponit, p. 624. 625. illud οὐ πνεύματι, excutiens, ἡ πνεύμα de diuinitate stricte exponit, non de diuina virtute, quae C<sup>H</sup>risto secundum Deitatem essentialiter & radicaliter, secundum humanitatem autem communicative competit: Quum tamen sequentia apostoli verba satis probent, τὸ πνεῦμα non formaliter Deitatem, sed diuinam virtutem hic significare. Additur enim εἰν τὸ πνεῦμα Deitatem.

B

γενθεὶς εἰκόνῃ; Si ergo diuinitas stricte hic intelligeretur, haec esset propositio: *in deitate, vel, secundum deitatem, abiit* ὁ. cum tamen contra Calvinianos recte doceamus, Christum ita descendisse ad inferos, *vt subiectum quo*, non sit diuina natura, per se omnipraesens, sed natura humana, primum exaltationis gradum hoc ipso contingens. Quare τὸ τονίου hic est *virtus diuina*, in illa, cum illa, per illam homo Christus, postquam viuificatus, abiit ad carcerem infernalem & predicauit &c. Quando ergo DN. CARPOVIVS illud πνεῦμα, cui οὐσία mortui corporis adscribitur, de diuinitate Christi 1. c. exponit, negat primo animam Christi esse illud πνεῦμα, secundo scribit: *Viuificatio (sc. corporis Christi) est actus miraculosus; at anima Christi, vt anima, non potuit miraculum praestare, neque hinc viuificandi corporis & humanitatis Christi auctor esse, etiam si id per omnipotentiam suam potuerit diuinitas.* Et licet ad communicatam cum humanitate omnipotentiam prouoces, **NE TAMEN ALIA MONEAM**, certum est, humanitatem non potuisse omnipotentia communicata uti, nisi utente simul diuinitate; *Vt adeo ad diuinitatem tamen esset recurrendum. Ex quibus omnibus sequitur, vt, teste Petro, per diuinitatem suam Christus, Γένετωθεὶς, viuificatus fuerit.* Non ergo solum DN. CARPOVIVS, de virtute viuificandi, ad humanam naturam relata, eique communicative vere competente, tacet omnino; sed etiam illam haud obscure prorsus negat. Quod, nisi reliqua eius adlegata verba & propositiones proderent, satis luculenter appareret 1) ex illo, *quod de anima Christi, qua anima, neget, potuisse praestare miraculum; id quod, si eam in unione personali spectat, fallum est; extra unionem autem illam, in hoc sermonis & substratae materiae contextu spectare, ἀτοποίητο* erat, quum hic quaestio non sit de eo, quid possit anima Christi abstracte, & in sua sola natura considerata? &c. 2) Adparet inde, quod ad illam, quam sibi ipsi format, *objectionem, de communicata cum humanitate omnipraesentia, respondeat verbis, non omni suspicione vacuis: Ne alia moneam!* Quae enim erant hic monenda alia? vbi potius fatendum & docendum erat, contra Calvinianos; quod Christus, *qua homo*, seipsum quoque suscitauerit, eiusque humana natura ex hoc negotio non sit excludenda. Sicut enim, quod Christus, *qua verus Deus*, corpus suum suscitauerit, contra Socinianos adserimus; ita, quod Christus, *qua homo*, secundum omnipotentiam humanae suae naturae communicatam, corpus suum suscitauerit, nec in hoc opere ἀνεψιος fuerit, contra Calvinianos defendimus. Ablegamus vero cupidos Theologiae cultores ad systemata pene omnia nostrorum Theologorum, vbi hanc orthodoxam thesin idoneis & copiosis robaram inuenient argumentis, quae heic recensere, spatium non permittit.

tit. Putauit forte DN. CARPOVIVS, in infimo exinanitionis gradu & statu, nullum communicatorum idiomatum diuinorum vsum humanae naturae CHristi fuisse, quia tantum egressionem e sepulcro propriae virtuti CHristi, etiam hominis, §. 670. adscribit, non item refusci-tationem seu viuificationem. At vnde hoc probabit, statu vnionis & communicatione idiomatum neutquam sublatis vel interpellatis? Co-gitandum illi praeterea erat, quod, licet plenus vsus maiestatis & idiomatum communicatorum, ad statum exaltationis, cuius conditionem quasi *prae-requisitam* adpellat ζωοποίησις B. D. KOENIGIVS Theolog. Positiu. pag. 172. §. 356. perfineat; nonnullum tamen vsum, & saepe magnum fuisse etiam in statu infimae exinanitionis, nendum in ipso exaltationis initio. In statu autem, non exaltationis, sed exinanitionis, CHristus docet & gloriatur, carnem suam esse viuificam. Io. VI. 51. datum ipse esse a Patre, ut habeat vitam in se ipso, utque iudicium exerceat NB. secundum hu-manam naturam: ὅτι διὸς αὐθεότερος εἶναι ait, Io. V. 27. Filium viuificare quos velit Io. V. 21. Nec aliquis, nisi homo Caluinianus dubitabit: an hic de communicata humanae naturae CHristi maiestate, an vero de illa, quae τῷ λόγῳ, secundum diuinam naturam, competit, agatur. Integri enim capitris συνάφεια declarat prius; vel immediate praecedens com-ma 21. illud docet, vbi CHristus ait: ὁ πατὴρ μεῖνειν ἐπειδὲ οὐκ εἰσει-τῷ νῷ. In quibus verbis CHristus, se νὶοῦ vocans, non de se, ut DEO, & aeterno verbo Patris, cui nil erat occultum, nihil discendum, nihil experientia commonistrandum, sed de se, ut homine, qui per gradus ire, & maiora experiri poterat, apertissime loquitur. Ut ergo, quod rei summa est, dicamus, fatendum nobis est: quod, quum CHristus, qua homo, fuscitare possit, quos vult, vitamque habeat in seipso; sic, ut caro sua viuifica sit ille etiam, qua homo, qui potestatem habebat, vitam suam & po-nendi, & resumendi Io. X. 19. & corporis templum destructum, tertio die re-staurandi Io. II. 19. hanc potestatem & gloriam vere exercuerit in fuscitan-do proprio sanctissimo corpore. Sed satis de hoc! Accedimus paucis ad

QVARTVM, quod notandum h. l. erit. Non tam, quod de ordine resurrectionis & descensus CHristi ad infernum disputat, l. c. p. 634. Schol. 2. ad §. 677. excutiemus; quamuis receptae Theologorum sententiae & ordini litterae I. Petr. III. 18. 19. contrariam eligat DN. CARPOVIVS opinionem. Probare enim fatagit, quod descensus CHristi ad inferos, non contigerit media inter ζωοποίησις & ανάστασις, sed quod contigerit post utramque; sic, ut prius resurrexerit, & egressus sit e sepulcro, tuncque descendenter ad inferos. Magni quidem momenti controversia non est, nec fidem tangit; quam autem facile recedat Auctor a communi Theo-

logorum sententia, & quam facile, si id, sub idoneo praetextu fieri potest, litteram scripturae suae sententiae adcommodet, vel ex hoc adparet: quod in dicto excitato vocem: πορευθεὶς sumat pro egressu CHristi e sepulcro, non pro abitu ad carcerem infernalem; cum tamen non modo Spiritus S. si id voluisset, particulam εἰς potuisset praefigere (ικπόρευσις enim est egressus) sed & breui post eadem vox reperiatur de abitu Christi ad coelum p. 22. πορευθεὶς εἰς σπανῶν. Quod autem maxime hic adendi mereretur, est ratio illa, qua mouetur DN. CARPOVIVS ad hanc explicationem, &, Theologis non visitatam, sententiam. Certe haec est, quia non concipit, quid Christus potuerit demum post descensum ad inferos egredi e sepulcro? Hoc exserit l. c. §. 677. verbis, quae in suspicionem Caluinismi, nisi meliora de illo iure speraremus, facile adducere possent. Ita ait: REPVGNANS EST: Christum vivificantum, tota humanitate abire in infernum, & manere simul in sepulcro! An forte sepulcrum Seruatoris receptaculum inferni fuit? Hic certe oblitus est Dn. Auctor, se in theologicis versari, & in scribendo systemate mox ad castra Calvinianorum, rationis sufficientis principio aurem ipsi vellicante, immo extra orbitam rapiente, nimis propinque adcessisset. At, η γλώσσα προσήρχεται της διάνοιας! voluit dicere: Sine usu est, sine necessitate, Christum tota humanitate abire in infernum, & manere tamen in sepulcro! Certe enim, si id repugnans esse putat, repugnans illi quoque, quod pariter Calviniani clamitant, erit: totam Christi humanitatem esse in coelo & tamen quoque in sacra coena, non uno loco, sed mille & mille locis simul. Quid ergo dicendum est de omnipraesentia carnis Christi? Reetene B. LUTHERVS docuit, Christi humanum corpus triplici modo posse alicubi esse, primo comprehensibili & corporali ratione; secundo, incomprehensibili & spirituali modo; tertio diuino & coelesti modo. vid. Libb. Symbol. solid. declar. artic. VII. p. m. 752. 753. Consentitne DN. CARPOVIVS, cum verbis, quae ibidem artic. VIII. p. m. 784. leguntur: Necessario conficitur, quod etiam iuxta tertium supernaturalem illum modum Christus, homo, sit, & esse possit VBIQUE, VBI DEVS est, ita, ut omnia sint plena Christi, ETIAM IVXTA HUMANITATEM, non quidem secundum primam illam corporalem & comprehensibilem rationem, sed iuxta supernaturalem diuinum illum modum. At commendatior hodie esset Theologia, si rationis captui esset accommodatior; talem sitit orbis, talem industrie fabricabit, veteris, quae ultra scripturam non sapit, nec rationi primas partes tribuit, indies magis pertaefus. Verendum certe, ne de fidei mysteriis vox illa: repugnans est, cum tempore frequentius audiatur, pariter atque liberius. Tempus est, vt adhuc

QVIN-

QVINTVM, hoc loco notandum, paucis tradamus. In iis, quae Dn. CARPOVIVS de exaltatione CHristi docet, ne dicam: peregrinum, & phraseologiae theologicae diffonum esse, quod exaltationem CHristi, quatenus ad animam eius humanam spectat, describat per progressum in perfectionibus, non retrogressum; vid. Theol. Dogm. Tom. II. §. 662. p. 616. & Psychol. Sacratiss. P. I. p. 65. §. 109: Id certe peregrinum & inauditum est, quod adserat, CHristum NB. secundum utramque naturam. & abdicasse se vfu pleno, in statu exinanitionis, & adsumisse iterum, in statu exaltationis, usum plenum perfectionum diuinorum operatiuorum. Ita enim l.c. schol. ad §. 642. pag. 601: Erat autem scribit, adsumendus (vhus plenus nec amplius interruptus attributorum diuinorum operatiuorum) QVA VTRAMque NATVRAM, quia QVA VTRAMQUE ab eodem usu, quod is opus redemitio- nis impediuit, abstinuerat. Ablegat ibi lectorum ad §. 569. vbi iterum scribit, quod CHristus, quoad utramque naturam debuerit abstinere ab vfu diuinorum attri- butorum operatiuorum. Fac enim, pergit, humanitatem ab illo vfu abstinuisse, at diuin- itatem CHristi attributo operatiuo, v. g. omnipotentia ad hostes prosternendos, & protegendarum carnem suam, usum esse, dum nihilominus mortis supplicium ab hostibus CHristus sustinuit, omnipotentia diuinitatis sic non esset omnipotentia: Reliqua hue transcribere nolumus: modo monuerimus, quod Dn. CARPOVIVS non absolu- tam, sed hypotheticam eius non- usus necessitatem fateatur, Schol. ad §. 569. scilicet, quia plenarius usus impediuit opus redemitio- nis. Illum tamen non - usum veram vocat euacuationem & §. 574. docet: CHristum se secundum utramque naturam euacuisse; quam tamen euacuationem non vult synonymum esse exinanitionis, sed ab hac distinctam: unde nec Deitas CHristi sit exinanita aut exaltata §. 647. Iam paucis, quod res est, dicemus! Primo quidem, si vel maxime verba Auctoris, bene explicari, & cum ipsa veritate conciliari possint, vitio tamen vertendum illi est, quod sine causa nouitati studeat, a recepta in Schola Theologorum terminiorum significatione diuortium faciat, peregrinisque notionibus letores suos, iuuenes praelertim, confundat. Qui enim nesciret, illum exinanitionem & exaltationem expresse ad humanam dumtaxat naturam restringere, is certe, auditis & perlectis superius allegatis, secus iudicare non posset, quam quod, etiam secundum diuinam naturam, CHristus & exinanitus & exaltatus fuerit. Merentur non bene de sci- entiis, earumque alumnis, qui nouis terminis & notionibus, neglectis illis, qui monetarum instar, apud omnes valent, istas perplexas & cultoribus difficilio- res reddunt. Quod, si vituperandum est in rerum philosophicarum pertra- statione, longe plus vituperandum est in rerum theologicarum proponendi ra- tione. Quo enim maior inde enasci potest animorum confusio, eo maius ipsi veritati paratur discrimen, litesque, quarum iam nullus est finis & numerus, praeter necessitatem, mirum quantum augentur. Poterat Dn. CARPOVIVS deuia & scopulos euitare, communem si Theologorum loquendi rationem ser- uasset; quum iam, deserta illa, & vbi nouam & insolitam format, alios confun- dat,

dat, veritatem implicit, & in erroris suspicionem in hoc iterum doctrinae capite, *ἀκριβειαν* theologicam negligens, seipsum adducat. Adeo enim dura est illa dictio: *Christus secundum diuinam naturam se euacuauit suis attributis*; secundum diuinam naturam se abdicauit usu plenario suarum perfectionum operatiuarum; in exaltatione *CHristus secundum diuinam quoque naturam adsumvit*, vel resumvit usum plenarium, quem in statu exinanitionis deposuerat. Illa dictio, inquam, adeo dura est, vt vel homo plebeius scandalum ex illa capiat. At videamus secundo, anne in veritatem ipsam illa loquendi & sentiendi ratio impingat. Certum est, de euacuatione *CHristi*, cum scriptura illam, & vocabulo & reipsa doceat, ad sensum scripturae, vbi volumus, *Θεολογίαν*, nobis esse docendum. Nec licet id, quod quandam externam rei similitudinem habet, illi in totum aequiparare; hoc est: attributorum operatiuorum, quem offendimus in *CHristo homine exinanito*, non - usum, qui in illo dicitur *euacuatio*, non debemus simpliciter componere *cum omissione actionis*, quam & ex iure & potestate posset, si vellet, exercere filius *DEI*, qua diuinam naturam, vt illam omissionem vel suspensionem agendi pariter vellemus euacuationem appellare. Magna enim est differentia, maximum quoque ex illa dictione sequitur noxiarum conclusionum incommodum, Vt enim omnia alia taceamus, possemus ita inferre: *Si id, quod diuinitas CHristi sua e. g. omnipotentia, ad puniendos & coercendos hostes filii hominis, usus non est, EST EVACVATIO, quae in statu exaltationis locum amplius non habet; sequitur, vt adhuc hodie duret illa euacuatio, & CHristus nondum sit in statu exaltationis.* Nam posset *CHristus*, qua diuinam naturam, (de humana ne iam dicamus quidem) hostes suos, diabolum, tyrannos, impios, blasphemos &c. punire, violenter coercere, immo in inferni barathrum detrudere; sed id non facit, illo iure & illa potestate toties non vtitur, permettit illos saeuire, quasi non adsit iudex & capistrator, omittit usum huius iuris & potestatis, mouente infinita & multifaria sapientia. Ergo se adhuc hodie, qua diuinam naturam, euacuat. Immo de *DEO*, simpliciter hac ratione euacuatio praedicari posset; quod sane & inauditum est, & *DEO* neutiquam dignum. In dicto Paulino *Philipp. II. 7.* euacuatio praedicatur de *CHristo*, secundum solam humanam naturam; quod vberius probari posset, nisi limites huius scriptoris respiceremus; at paret id per se cuique legenti, a comm. §. vsque ad comma 9. Quis ergo *DN. CARPOVIO* indulget, id, quod de humana natura sola ab Apostolo dictum est, ad diuinam quoque naturam *CHristi* extendendi licentiam, vt de illa euacuationem praedicet pariter? Inde vero, quod sibi ipsi euacuationem deitatis *CHristi* finixerat, non poterat non, ex opposito, eo prolabi, vt statueret, deitati eius etiam resumendum fuisse, in statu exaltationis, quo se abdicauerat in statu exinanitionis *CHristi*, plenarium & non interruptum usum attributorum diuinorum operatiuorum. Quando *DEus*, quod potest

potest opus iustitiae, non peragit, ob opus amoris, quod demonstrare prae-  
stat; quando omnipotentia non vitur, ubi sapientia obstat, & sic porro, hocce  
vsum non plenarium & interruptum diuinorum attributorum vocabis? Huc autem  
redit, quod DN. CARPOVIVS adfert, vt probet, CHristum secundum diui-  
nam naturam quoque, vnu plenario attributorum operatiuorum se euacuisse.  
Quod cum erroneum sit, erroneous quoque est adserum: quod CHristus se-  
cundum diuinam naturam, in statu exaltationis suae, resumere debuerit vsum ple-  
narium, quem antea suspenderat, attributorum operatiuorum. Fefellit ergo Au-  
torem sua demonstratio, quia falsa hypothesi, loco solidi principii, erat su-  
perstructa. Tandem ostendemus, ex ipsius DN. CARPOVII verbis & ad-  
seritis, quamvis mentem aliam gerat, sponte fluere: quod CHristus etiam  
secundum deitatem suam fit exinanitus. Nimirum ad exinanitionem CHristi se-  
cundum humanam naturam, auctor refert 1) formam corporis & vitae CHri-  
sti externam seruilem 2) euacuationem seu abdicationem. vid. l. c. §. 648. &  
cap. II. Sect. III. passim. Itidem vero, & §. 645. 647. exaltationem humanitatis  
CHristi ponit 1) in forma corporis spiritualis gloria, & 2) in adsumptione pleni  
vnu perfectionum diuinarum, conf. §. 642. Quodsi euacuationem non ad es-  
sentiā exinanitionis humanae naturae retulisset, nec adsumptionem pleni  
vnu attributorum diuinorum, ad essentiā exaltationis; quamvis in hoc aper-  
te errasset, tamen ratione deitatis res fuisset in saluo. Iam vero ita inferimus:  
Si euacatio, vel abdicatio plenariai vnu diuinorum attributorum est in humilitate  
CHristi exinanitio; sequitur, vt illa ipsa, ubi in deitatem cadit, deitatis quo-  
que fit exinanitio. Atqui verum est prius; Ergo & posterius! Maior probatur inde,  
quia attributa diuina & eorum vnu plenarius competunt radicaliter, primario,  
essentialiter & necessario diuinae CHristi naturae; communicative vero, secundario,  
& per gratiam duntaxat humanae CHristi naturae; Hanc si non-vnu exinanit,  
exinaniet illam longe potius. Aut ergo per illam euacuationem neutra na-  
tura exinanitur, aut utraque, aut euacatio est solius humanae, non item di-  
uinae naturae. Ultimum docet scriptura, & in eius tramite & phraseologia  
fuisset CARPOVIO permanendum: Pari modo, struente ipso Dn. Auctore  
viam, facile concludi ex adlatis posset: Ergo etiam diuina natura est exaltata!  
Sed rumpimus hic filum; optantes, vt noua illa methodus, tradendi Theo-  
logiam, sobrius adhibeat, ne rebus theologicis admisceantur coniectu-  
rae humanae, & aliquis rationis libertinismus, scripturae & mysteriis fidei ini-  
micus & fatalis. Quod è scriptura non adstruitur, & si centum annos quauis  
ratione id demonstretur, in Theologia fidem habet omnino nullam. Tenen-  
dus λόγος Βεβαίης, 1. Petr. I. 19. Rationi sibi relietae, quam acute suo  
officio functa sibi esse videatur, idem saepe obtingit fatum. quod arithmeticis,  
qui, postquam integris diebus, in calculo ducendo, desudarunt, laborem reui-  
dentes, cum maximo taedio non raro experiuntur, vnicam cifram, neglectius  
scriptam,

scriptam, omnem suam operam irritam fecisse. Nos, *Cives Optimi!* maneamus  
in eo, quod sumus edocti & si Christi sumus discipuli, in verbo eius fidem no-  
stram fundemus. Sancta littera non fallit; quod Spiritus Sanctus loquitur,  
sapientia & certitudine summa poller. Cauete, ne quo quis doctrinae vento, cir-  
cumagamini. *Eph. IV. 14.* Praesertim ergo puram seruate, de morte & resur-  
rectione, exinanitione & exaltatione Christi, doctrinam coelestem. Hoc ipso  
sacro Festo aedificate sanctam vestram fidem illique superaedificate animae so-  
latium, de ablatis peccatorum vestrorum & reatu & poena. Iesus prodit e se-  
pulcro triumphator de hostibus nostris, pacem & iustitiam secum adportat, im-  
mo gaudium & vitam perennem. Exaltatus iam ad dextram Patris, caput est  
suorum fidelium membrorum, regit illa per verbum & spiritum, *Saluare pot-  
est in perpetuum accedentes per ipsum DEO, semper viuens ad intercedendum  
pro ipsis, Hebr. VII. 25.* Gaudete ergo, & exultate Spiritu: celebrate amo-  
rem DEI, & Illum, per quem etsi pretioso sanguine redimenti, cui dedit pater  
nomen super omne nomen. *Phil. II. 9.* Eritis, si voletis, victoriae & gloriae eius  
participes, tam in hac, quam in illa, quam vobis paravit, vita. Verum sitis et-  
iam participes eius resurrectionis, huic similes; ut sicut is resurrexit e mortuis,  
vos quoque in nouitate vitae ambuletis, arbitrantes, vos ipsis semel mortuos esse  
peccato, viuentes autem DEO per IESUM Christum, Dominum nostrum. *Rom. VI.  
4. 11.* Fugite mortem spiritualem; exuite veterem hominem eum suis ope-  
ribus; abnegate concupiscentias carnis; abstinetе a prauis moribus, qui vos  
non decent. *Non bona est vestra gloriatio, I. Cor. V. 6.* quam vestrum aliqui  
quaerunt in compotationibus, prouocationibus, digladiationibus, inconditis no-  
turnis clamoribus. Sane haec non est ex DEO vita, haec non sunt e spiritu  
sancto opera, sed e spiritu mundi & tenebrarum, a cuius potestate Vos Christus  
liberauit, ut in regno eius, & sub illo viuatis in sincera iustitia & sanctitate.  
Iesus viuit in honorem Patris; vos viuite in honorem Christi, qui, pro vobis  
mortuus, in resurrectione, praeter solamen fidei, typum quoque renouationis  
& exemplum vobis reliquit. Si similes eritis illi prima, quae est a peccatorum  
morte, resurrectione, similes ei quoque etsi futuri secunda & gloriosa resur-  
rectione. Faxit nos Deus dignos resurrectionis filios, *Luc. XX. 36.* Illeque,  
qui reduxit ex mortuis Pastorem magnum ouium, per sanguinem testamenti ae-  
terni, Dominum nostrum, IESUM, perficiat vos in omni opere bono, ad facien-  
dum voluntatem eius, faciens in Vobis gratum coram se, per IESVM  
*CHRISTVM, cui sit gloria in secula seculorum. Amen.*

*Hebr. XIII. 20. 21.*

*P. P. SVB SIGILLO RECTORALI,  
ipsa Feria I. Paschali. Ao. c150 ccxlii.  
die xxv. Martii.*

¶ (o) 58





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1004030495/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004030495/phys_0020)

DFG

potest opus iustitiae, non peragit, ob opus amoris, quod demorat; quando omnipotentia non vitur, ubi sapientia obstat, & sic vsum non plenarium & interruptum diuinorum attributorum vocabis redit, quod DN. CARPOVIVS adserit, vt probet, Christum secundam naturam quoque, vnu plenario attributorum operatiuorum. Quod cum erroneum sit, erroneum quoque est adseratum: quod cundum diuinam naturam, in statu exaltationis suae, resumere debuenarium, quem antea suspenderat, attributorum operatiuorum. Fefellit etorem sua demonstratio, quia falsa hypothesi, loco solidi principii perstruxta. Tandem ostendemus, ex ipsis DN. CARPOVII vestitis, quamvis mentem aliam gerat, sponte fluere: quod Christus secundum deitatem suam fit exinanitus. Nimirum ad exinanitionem cundum humanam naturam, auctor refert 1) formam corporis Christi externam seruilem 2) euacuationem seu abdicationem. vid. l. c. cap. II. Sect. III. passim. Itidem vero, & §. 645. 647. exaltationem Christi ponit 1) in forma corporis spiritualis gloria, & 2) in adiutoriis perfectionum diuinorum. conf. §. 642. Quod si euacuationem sentiam exinanitionis humanae naturae retulisset, nec adsumtus vsum attributorum diuinorum, ad essentiam exaltationis; quamvis te erraslet, tamen ratione deitatis res fuisset in saluo. Nam vero ita. Si euacatio, vel abdicatio plenarii vsum diuinorum attributorum est in Christi exinanito; sequitur, vt illa ipsa, ubi in deitatem cadit, que fit exinanito. Atqui verum est prius; Ergo & posterius! Maior prout quia attributa diuina & eorum vsum plenarius competunt radicaliter & essentialiter & necessario diuinae Christi naturae; communicative vero & per gratiam duntaxat humanae Christi naturae; Hanc si non-us exinaniet illam longe potius. Aut ergo per illam euacuationem tura exinanitur, aut utraque, aut euacatio est solius humanae, non diuinae naturae. Ultimum docet scriptura, & in eius tramite & euisset CARPOVIO permanendum: Pari modo, struente ipso viam, facile concludi ex adlatis posset; Ergo etiam diuina natura Sed rumpimus hic filum; optantes, vt noua illa methodus, tralogiam, sobrius adhibeat, ne rebus theologicis admisceantur humanae, & aliquis rationis libertinismus, scriptuae & mysticus & fatalis. Quod est scriptura non adstruitur, & si centum ratione id demonstretur, in Theologia fidem habet omnino nullus *λόγος βεβαιός*, 1. Petr. I. 19. Rationi sibi relictæ, qua officio funera sibi esse videatur, idem saepe obtingit fatum, quod qui, postquam integris diebus, in calculo ducendo, desudarunt, laudentes, cum maximo taedio non raro experiuntur, vnicam cifram



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0-11